



F. J.

1668, 50

14

16

J U S.

TENEBRARUM.

ALMÆ. FACULTATIS. JURI-  
DICÆ. PERMISSU.

PRÆSIDE.

MAGNIFICO.

DN. JOHANNES. STRAUCHIO.

JCTO. ANTECESSORE. CONSILIARIO.

SAXONICO. FACULTATIS. JURIDICÆ. SENIORE.  
CURIÆ. PROVINCIALIS. ET. SCABINATUS. ASSESSORE.  
GRAVISSIMO.

PRO. CONSEQUENDA. DOCTORALI.  
LICENTIA.

PUBLICÆ. VENTILATIONI.  
EXHIBET.

JOHANNES. GEORGIUS. SIMON.

HALLENSIS. SAXO.

JENÆ.

DIE. XIII. MAJI. A. C. M. DC. LXIIX.

---

Literis MÜLLERIANIS. 1683.



10/1  
F. J.  
JUS  
TENEBRARUM.

ALMAE FACULTATIS JURIS  
DICE PERMISSU

PRÆSIDI

MAGNIFICO

DR. JOHANNI STRAUSSO

DOCTO. ANTECESSORE. CONSILIARIO.

SAXONICO, FACULTATIS JURIDICÆ SENIORE,  
CURIAE PROVINCIAE ET SCABINATUS. ASSESSORE.  
GRAVISSIMO.

PRO. CONSEQUENDÆ DOCTORALIS

LICENTIAE

PUBLICÆ VENTILATIONI  
EXHIBET

JOHANNES. GEORGIVS. SIMON.

HALLENSIS. SAXO.


VENÆ

DIE XIII. MAJ. A. C. M. DCLXXX.

Licentis MÜLLERIANIS 1688.







CAPUT I.  
DE PROOEMIO, DESCRIP-  
TIONE, FUNDAMEN-  
TO.



Quantas unicuique mortalium  
sol, aureus ille mundi oculus afferat uti-  
litates, tantum abest ut linguis prædica-  
ri, ut ne quidem ipso vel dexterrimo men-  
tis acumine assequi valeamus: caloris si-  
quidem sui divitiis orbem terrarum lar-  
gissimè beat, omnis, quòd crescit, ar-  
busti maturitatem liberalissimè conciliat, radiisque fulgen-  
tissimis quasvis telluris obscuritates sufficientissimè illustrat.  
Nec diversa ejusdem bona impræsentiaram fusius enume-  
rare, nec prouti dignitas efflagitat, uberius considerare pro-  
posuimus, quoniam præstantissimam illius dignitatem nun-  
quam magis desideranter expetimus, quam cum defectus  
tam splendi de lucis nos obruit, uti & tristissimus tenebra-  
rum horror regiones nostras circumscribit. Tum demum  
etenim bonum amissum, nimis tamen serò, conquerimur,  
malumque præsens utique frivolè execramur: tum demum  
diei jucunditatem extollimus, noctisque nigrorem averfa-  
mur. Ast quoniam laudatissimus ille solis splendor ne-  
quaquam nobis tantum præstò esse, sed aliis etiam popu-  
lis eadem ratione inservire debeat: adeoque tenebras no-  
bis quotidie ingruere necessum sit, in quibus vel inviti non-



nunquam officia nostra administrare, aliaque subire negotia cogimur, idcirco non abs re me fecisse adopinor, si hâc vice jus tenebrarum, quantum temporis angustia concedet, paulo altius repetiero, ejusque usum in diversis Legum materiis, quantum pagellæ brevitatis capiet, demonstravero: Jova cœpta secunda! De onomatologia vocabuli tenebrarum, quæ insimul etymologiam, homonymiam & synonymiam sub se comprehendit, jam solliciti haud erimus, quin potius B. L. eandem discipientem ad Lexica lubenter remittimus. Rem ipsam aggredimur, describimusque tenebras, quatenus in præsentî dissertatione accipiuntur, quod sint cujuslibet lucis defectus, sive ille existente apud nos sole per corpus opacum causetur; sive ille sole apud inferos constituto naturaliter nobis obveniat. Utriusque considerationis fundamentum reperiri potest in jure nostro, modo evolvantur *l. cum eo. 9. l. Si arborem. 17. §. per contrarium. 1. l. eos qui. 40. ff. l. si in adibus. 9. C. de Servitut. Urb. Præd. l. Temporibus. §. de inspiciendo. 10. de Ventr. Inspic. l. hoc edictum. 6. §. Labeo. 1. de his qui effuder. l. itaque. 4. §. lex. 1. ad Leg. Aquil. l. Furem. 9. ad Leg. Cornel. de Sicar. c. si perfodiens. X. de Homicid.*

## CAPUT II. DE MAGISTRATIBVS NOCTURNIS, ET IN SPE- CIE DE PRÆFECTO VIGILVM.

**O** Misso jam ulteriori, & heriorique fundamento primùm magistratus consideraturi sumus, quos apud Romanos vespertinis temporibus, & per consequens multo magis noctu in publico esse inconueniens erat, *l. Necessari-*

*um.*



num. 2. §. Et quia. 31. de Origin. Jur. Restringit tamen hoc  
tempus Gloss. ad l. c. lit. u. ad horam usque nonam, ita ut  
ab eâ demum, æstivis potissimum diebus inconvenientia  
prædicta locum mereatur: Hinc optimè concordare vide-  
tur textus à multis alias pro obstante habitus, quem com-  
prehendit Novell. 82. cap. 3. utut Gloss. ibid. Et ad c. lib. 2. §.  
31. de O. J. inter magistratus ordinarios & delegatos à prin-  
cipe distinguere, deque his cap. 3. nov. 82. de illis verò d.  
l. 31. de O. J. intelligere malit. Alias quinque viri cis &  
ultra Tiberim constituti fuerunt, qui nocte vices magistra-  
tus gererent sæp. cit. l. 2. §. 31. de O. J. Petr. Gregor. Tho-  
losan. Syntagm. Jur. Univ. Libr. 47. cap. 39. n. 10. Et seqq.  
Extraordinarium verò & improprie sic dictum magistratum  
gerebat præfectus vigilum, l. 2. §. Et hæc omnia. 33. de O.  
J. L. Administrantes. 41. §. idemque. 1. de Excusat. Tutor.  
quem Imperator Augustus constituit, pluribus incendiis u-  
nâ die in urbe exortis, præposuitque septem cohortium tri-  
bunis, quorum unusquisque binas regiones dictæ urbis tue-  
batur. Apud vetustiores enim incendiis arcendis trium-  
viri præerant, qui ab eo, quod excubias agebant, noctur-  
ni dicebantur: interveniebant nonnunquam & ædiles, &  
tribuni plebis: erat autem familia publica circa muros &  
portam disposita, unde si opus esset, evocabatur, vid. t. 1.  
Offic. Præf. Vigil. Johann. Calvin. Lexic. Jurid. h. v. Cæ-  
terum officium hujus viri spectabilis (quod nomen à Pan-  
dectarum compilatoribus in pr. l. nam salutem. 3. de Offic.  
Præf. Vigil. additum vult Guid. Pancirol. in Notit. Imp. Oc-  
cid. cap. 6. add. Magnif. Dn. Struv. Syntagm. Jur. Civil Ex-  
ercit. 4. thes. 26. quamvis glossa, duplicem faciat Præfectum  
vigilum, unum Cæsaris Imperio institutum spectabilem-  
que, alium antiquo tempore excubiis præfectum, non-  
dum sibi collatâ dignitate per principem, a quoque minus  
spectabilem, Gloss. ad l. 3. h. t. Johann. Accurs. Thesaur. Ju-  
rid. h. v. Haring. Sifrid. Exposit. C. h. t.) consistebat in hoc,  
ut vigilaret per totam noctem, & coërraret calceatus cum



hamis & dolabris, cognosceretque de incendiariis, effra-  
storibus, furibus, raptoribus & receptatoribus, *d. l. 3. per  
tot Joh. Coras. h. t. B. Brisson. de Verb. Signif. h. v.*  
De capitalibus autem causis nihil suâ autoritate STATU-  
ERE poterat, sed si quid ejusmodi eveniret, ad culmen  
potestatis præfecti urbi remittere cogebatur, *l. Præfecti. un.  
C. h. t. l. 3. ff. eod.* Nec obstat *l. cum servus. 15. de Condit.  
caus. dat.* Ad hanc equidem dicit *Azo in l. c. potuisse e-*  
*um cognoscere, quoniam non fuerit publicum crimen, li-*  
*cet pœnam capitis impositam habuerit: Alia est respon-*  
*sio Gloss. ad d. l. 15. & Dn. Hahn. Observat. ad Wesenbec. pa-*  
*rat. ff. de Off. Præf. Vig.* Præfectum vigilum summisse sibi  
hanc potestatem de facto, non de jure: Tertia solutio,  
quam & nos pronunc amplectimur, profertur ab ipso *We-*  
*senbec. π. ad ff. de O. P. Vig. & Dn. Georg. Adam. Struv. h*  
*t. Ex. 4. §. 27.* id nimirum ipsi concessum fuisse ob vilitatem  
personæ servilis, quoniam verisimile vix videtur, præfe-  
ctum hunc tam protervè in Leges Romanas peccare volu-  
isse, quippe quæ non nisi nominatim merum imperium,  
quod in potestate gladii consistebat, dederunt, Obiter  
etiam de hoc præfecto vigilum notatum dabimus, ejus vi-  
delicet loco in Urbe Constantinopolitanâ Prætorem plebis  
ab Imperatore Justiniano fuisse creatum, eique jus gladii  
concessum in eos, qui nocte mœchando, furando, vel al-  
lio modo deliquissent, *Novell. 13. Dn. Struv. l. c. §. 28. Jo-*  
*hann. Calvin. Lexic. h. v. quoniam hic magistratus viliori-*  
*bus dari coeptus, ac cum eo fures & latrones conspirave-*  
*rant, Petr. Georg. Tholosan. S. J. H. l. 47. c. 35. n. 11. 12. Gu-*  
*id. Pancirol. in Notit. Imp. Orient. c. 27.* hinc ad ultimum  
demum odioso & tenebricoso nomine Nycteparchus voca-  
batur, *Jul. Pac. Isagog. ff. h. t. n. fin.* Inter magistratus  
porrò nocturnos aliorum populorum eminent Areopagitæ  
Atheniensium, qui causam capitalem obscurâ nocte atque  
in tenebris examinarunt, ne forte aspectus personæ vel rei  
ejusmodi posset commovere affectus, qui judicem à  
re-



rectitudinē justitiæ & æquitatis distraherent, *Farnesius*  
*in Simul. Reip. lib. 1. c. 9. Polyd. Rip. de Temp. noct. c. 9.*  
*num. 14.*

## CAPUT III.

# DE JUDICIO EJVS-

# QVE ACTIBVS.

**M**Ores quod attinet magis receptos, judicium de nocte non simpliciter, sed ex partium consensu, & quandoque in casu necessitatis urgentis exerceri potest, quemadmodum nec citationes, etiam editales, horis nocturnis procedunt, vel insinuari debent, imprimis si à judice pro tribunali sedente sint impetrandæ: hoc tamen neutiquam negabimus, posse actuarium tempore tenebrarum ad partis requisitionem citationem describere, nuncioque, ut tempore legitimo & juridico eandem insinuet, committere; imò nuncii relationem recipere, & ad acta iterum referre, *vid. Henric. Cardinal. Hostiens. ad c. consuluit. X. de Offic. delegat. Asin. prax. §. 6. c. 6. requisit. 7. Nicol. de Tudesch. Abb. Panormit. ad c. 11. Quoniam contra. X. de Probat. Marc. Anton. Eugen. lib. 1. Conf. 48. n. 35. & seqq.* Comparere autem de nocte, nisi urgenti ex causâ ad certam noctis horam citatus, nemo cogitur; adeoque nec litem contestari, nec in causa procedere, nisi ipsemet itidem legem dixerit *Johann. de Selu. Tract. de Benefic. quest. 17. pr. part. 1. Panormitan. & Innocent. n. 5. ad d. c. consuluit. X. de Off. Deleg.* Testes tamen respectu eorum, quæ interdum viderunt, absque partis citatione examinari possunt, sed minimè jurare: hic autem nobis non obstat, *Rutger. Ruland. Tract. de Commissar. & Cons.*



*Commission. Camer. Imperial. part 2. libr. 2. cap. 13. n. 1. lit. a.* qui dicit *Polyd. Rip. d. tr. c. 130. n. 5.* Præter necessitatem tempus diversum intertestium examen & juramentum effingere : Verum res clara est , cum examen testium etiam parte absente semper validum sit , *add. Ordinaz. Process. Administr. Archi. Ep. Magdeb. c. 31. §. wann nun die Zeugen.* Sed jusjurandum , omisâ citatione ad videndum jurari , infirmum maneat : jam verò citatio , uti ex supradictis constat , de nocte fieri nequeat. *add. Carpzov. Process. tit. 11. artic. 3.* si verò pars adversa sua sponte veniat , & judex insuper sui copiam faciat , minimè dubitandum est , testes sicuti examinari , ita & jurare nocte posse. Reliquos actus judiciales scienter omitto , quum omnes ferè , secundum hætenus tradita observata , sese conforment ad judicis vel summè necessariam , vel maximè voluntariam cognitionem. Pergo ad sententiam , quæ an noctu ferri possit à judice , *Gloss. ad Novell. 82. cap. 3.* variat : mox enim distinguit inter judicem ultrò & ex necessitate pronunciantem : mox seipsam refutat *ibid. & in l. Non minorem. 20. C. de Transact. & in l. More. 8. ff. de Fer.* Sed jure canonico verior est negativa opinio , idque potissimum ob *c. consuluit. 24. X. de Offic. & Potest. judic. de legat. Sebast. Vant. de Nullit. Process. de nullit. sent. & defect. jurisdic. ordinand. n. 132.* interim quoque sententiam nocturnam validam esse in foro mercatorum , si pars fuerit contumax , ad pias causas , ubi res est continuò peritura , ubi expirat judicantis jurisdicatio , si lata sit de nocte propter multitudinem causarum , & partibus consentientibus , innuit *sæp. cit. Polydor. Rip. c. 133. per. tot. ad quem uti & ad Jacob. Menoch. de Arbitr. Judic. Quest. libr. 1. Quest. 62.* benevolum Lectorem remissum volumus , qui ibidem , cum nos theses , non commentaria peramplè conscribere constituimus , numerosum dubitantium & decidentium acervum offendet. Breviter ubi hæc concurrunt : judicis copia , partium consensus & aliquando in-

evi-



evitabilis necessitas, actus, qui alias communiter non  
geruntur, licite nocte geri queunt; sic appellatio recte  
interponitur, & apostoli rite petuntur, ( tum maxi-  
me si etiam sententia noctu fuerit lata ) sic laudum legiti-  
me fertur, æque ac arbitramentum hanc observatam regulam  
haud injuste interponitur. *Dec. ad scap. cit. c. consuluit. n.*  
*33. Johann. de Selv. Tract. de benefic. part. 3. quest. 17. n. 2.*  
*Jacob. Menoch. l. c. n. 3.*

## CAPUT IV.

# DE SERVITU- TIBUS.

**Q**uoniam hætenus iudicium in genere, cum præci-  
pue ejusdem requisitis in medium produximus,  
haud indecenter ad quædam specialia iudiciorum  
jam pervenimus: præprimis si consideraverimus  
servitutes vel quatenus illæ tempore tenebrarum exerce-  
ri; vel quatenus per eas alteri tenebræ constitui pos-  
sunt. Prius quod attinet, competere alicui potest,  
horis nocturnis servitus itineris, item actus & via per  
prædium alterius, sed ita tamen ut modus utendi arbi-  
trio boni viri determinetur, quod etiam adhibendum  
venit, si habitans in eadem domo nocturno tempore e-  
gredi, ingredi que passim & frequentius velit, maxime si  
non sit hyems, ubi citius tenebræ ingruunt, utut hoc  
neget *Crusius c. 8. n. 4.* nec ullum in moram positum peri-  
culum, quod fortassis proximo immineat; quoniam hoc  
pacto res magis vergit ad vexationem proximi, & ad di-  
sturbandam quietem domesticorum, quam ad commo-  
dum

B

dum



dum ejus, cui servitus debetur. Aliud verò dicen-  
dum de servitute simpliciter concessâ, quæ nocte ubivis  
& indistinctè exerceri nequit, imprimis si quis per for-  
talitia aut castella transire cuperet, licet etiam sit confœ-  
deratus; vel incursus latronum, aut repentina vis hosti-  
um pertimescenda esset: Fusius de hisce *Cæpoll. de Ser-  
vitut. c. 38.* Porro si is, qui nocturnam aquam habet,  
interdiu per constitutum ad amissionem tempus usus fu-  
erit, amisit nocturnam servitutum, quâ usus non est, *l.  
Si communem. 10. §. si is. 1. Quemadm. servit. amitt.* Nec  
obstat, quod non possit imputari negligentia ei, qui cum  
nocturnam aquam haberet, interdiu eâ usus est per tan-  
tum tempus, quanto alioquin potuisset amittere servitu-  
tem non utendo: nec insuper negari queat, quin aquâ  
usus sit. Verum ad hæc respondet *Anton. Fab. Rati-  
onal. ad h. l.* Omnino ei imputari posse, cur non sit u-  
sus aquâ quam habuit, id est nocturna; sed diurna,  
quam non habuit. Amisit ergo secundum *pr. l. si quis.  
18. h. 1.* eam quam habuit servitutum, neque potuit re-  
tinere aliam, quam non habuit. Uterius instant ad-  
versarii & allegant *l. cum constet. 5. §. inter duos. 1. de  
Aqv. Quotid.* sed respondetur, aliud juris esse in uno,  
uti *l. 10. §. 1. Quemadm. Servitut. amitt.* aliud in pluribus,  
uti *l. 5. §. 1. de Aqv. Quotid.* quilibet enim horum utitur  
pro alio ejus voluntate: quoniam *arg. pr. l. usu. Q. Servit.  
amitt.* ipse videtur uti, cum pro eo alius utitur, *add. Ni-  
col. de Passerib. Concil. LL. p. m. 201.* Atque tantum de  
primâ parte hujus capituli: restat nunc in alterâ viden-  
dum, quomodo per servitutes alteri tenebræ constitui  
possunt, quod duplici ratione contingit, ædificando sci-  
licet & destruendo: illud fit, cum lumina fenestrarum  
à proximo confectarum contra ædificando obstruimus,  
imò, licet aliquando paries communis sit, prohibemus,  
*l. cum eo. 9. l. eos qui. 40. ff. l. si in adibus. 9. C. de Ser-  
vit.*



vit. Urb. Præd. hoc procedit, si fortè καὶ ἀνακλάνου  
i. e. per refractionem seu repercussionem radiorum solis  
ab ædificio obstante nostrum illustretur conclave, quæ  
jam domo destructâ vel depressâ, radii ulterius resilire  
nequeunt, adeoque camera antea dicta necessariò obsu-  
scatur. *Dn. Weigel. Geoscop. Selenitar. part. 1. c. 5. & 7. Dn.*  
*Struv. Syntagm. Jur. Civil. Ex. 13. §. 13. per l. si arborem.*  
*17. §. interdum. 2. de Servit. Urb. Prædior. quem §. tamen*  
*Anton. Faber. Rational. h. §. ita intelligit, nimirum ali-*  
*quando luminibus officii, si post destructionem sol ocu-*  
*los nimio & importuno splendore perstringat, ut ei con-*  
*tingeret, qui fixis oculis solem intueretur, atque ita cæ-*  
*citatem sibi pararet: quem intellectum Fabro defenden-*  
*dum relinquimus.*

## CAPUT V.

# DE CONTRACTI- BUS, NUPTIIS, CHOREIS.

**M**isis servitutibus nunc ad alia specialiora judicia  
transitum facimus, & primò quidem ad contra-  
ctus, quos ferè omnes noctu celebrari posse sta-  
tuunt *Dd. arg. l. non minorem. 20. C. de Transa-*  
*ction. qui tamen extra necessitatis casum, & si tempus di-*  
*urnum ad illos eo melius ineundos adfuerit, omni suspi-*  
*cione non carent, Felin. ad c. consuluit. n. 20. de offic.*  
*delegat. Sic rectè etiam noctu confici potest contractus*  
*mutui; depositi; commodati; pignoris tam conven-*



fionalis s. voluntarii, quam contentiosi, modo in posteriori iudicis habeatur copia, aut periculum sit in mora, *Gloss. & Bald. in l. More Romano. §. n. 3. de Fer. emtionis venditionis; locationis conductionis; stipulationis, nisi actus, cui stipulatio accedit, in se quoque suspectus sit, Polydor. Rip. c. 114. n. 4. eodem modo se habent & reliqui contractus, quos, brevitatis studio ducti, cuique ex hisce sufficientissime, ut opinamur, prolatis, iudicandos tradimus.* Ad manus secundo sumemus materiam nuptiarum, ubi distincta animadvertenda veniunt, (1.) matrimonium omnino noctu contrahi posse, modo omnis absit clandestinitas nociva: hinc non videmus, quomodo obitare possit *Rolanda à Val. consil. 3. vol. 3. n. 42.* cum hac ratione intellectus optime nobiscum consentiat. Præterea (2.) ex svasione, non autem ex præcepto *c. 33. sponsus. distinct. 23.* primâ nocte pro reverentia benedictionis sacerdotalis in virginitate permanere debent sponsus & sponsa. (3.) Lucra matrimonialia *Polydor. Ripa c. 35. n. 15. & cap. 41. v. 3.* distinguit, ut cedant tota marito, si acquisita per operas diurnas sint; uxori verò, si per nocturnas, nisi ratio obsequiorum vel de sui naturâ, vel ex necessitate horas desideret nocturnas: rationem distinctionis præbet hanc, quia dici nequeat de tempore nocturno, illud viro ejusque obsequiis subtractum esse. Veruntamen aliud conjecturare possumus ex *arg. l. Quintus Mucius, §. de donat. int. vir. & uxor.* ubi acquisita constante matrimonio mariti industriâ quæsitæ dicuntur, videturque hoc circa uxorem evitandi turpis quæstus gratiâ à Q. Mucio probari: his adde, quod mulier omnis vitæ socia dicatur, adeoque ejusdem opera constante matrimonio, sicuti & ipsum matrimonium ad dies vel noctes tantum restringi nequeant. His adde (4.) choreas nocturnas tempore nuptiarum licitas; nec obest, quod si cœtus quilibet

no-



nocturno tempore condemnentur, imò LL. XII. Tabb. inhibiti fuerint, multò profectò magis choreæ nocturnæ abrogandæ culpandæque veniant, quæ licet aliquâ ex parte indifferentes actus dici possint, magis tamen ad malum ex corruptis moribus ac depravato seculo accedant. Sed responderetur, conventus nocturnos utique damnabiles esse, si vergant in detrimentum proximi, vel publicam salutem labefactare conentur: item si exercentur ad provocandam libidinem, vel aliam impudicæ protervitatæ occasionem præbeant: verum hæc omnia in publicis nuptiarum lætitiis locum non merentur, cum ibidem choreæ fiant animi exhilarandi gratiâ, ad expellendas anxietatum curas, insimulque debitæ intercedant circumstantiæ loci, personæ, temporis, & causæ, quibus omnino ea, quæ fortè ex accidentium depravatione eveniunt, negotium facessere non valent. Plura equidem dicenda essent de computationibus nocturnis, epulisque ad concubiam usque noctem sæpissimè protractis, quæ & id genus alia in nuptiis apud quosdam licita, apud alios verò turpia habentur: quemadmodum nec me fugit laudabilis sanè consuetudo quorundam locorum, ubi sub pœnâ certâ atque determinatâ ultra horam noctis decimam extendi non debent lætitia ac conventus nuptiales, constitutique sunt certi ephori, qui signo dato omnem apparatus componi faciunt; sed quoniam instituti mei non fuit, omnes in re qualibet circumstantias, imprimis si noctem non specialiter concernant, attendere, ideoque pronunc nunc reliqua depono.

B 3 CA-



CAPUT VI.  
DE TESTAMENTO,  
TRANSACTIONE, AR-  
RESTO, COLLATIONE  
BENEFICIORUM, DONA-  
TIONE, SATISDATIONE,  
RESIGNATIONE, ALI-  
ISQUE QUÆ NOCTU  
EXPEDIRI NON  
POSSUNT.

**P**rogređior ad alias actiones, quæ nocte expediri possunt. Inter has autem (I.) numeramus transactionem, quæ firma est, neque prætextu temporis tenebricosi dirimenda; nullum siquidem tempus sanæ mentis majoris 25. annis consensum repudiat, *l. Non minorem. 20. C. de Transaction.* Et hoc ad omnes contractus, qui solo consensu perficiuntur, extendit *Franc. Curt. Jun. ad d. l. 20. num. 6.* Nec obstat, sententiam noctis tempore ferri non posse, *Sebast. Vant. de Nullit. sentent. ex defect. jurisd. ordinand. n. 132. Jason. ad d. l. 20. n. 3. S. Ignorol. consil. 52. Felin. in c. consuluit. n. 19. x. de offic. delegat. jam verò transactionem vim definitivæ sententiæ & rei judicatæ habere, per l. causas. 16. d. l. non Minorem. 20. C. de Transact.* Distingvunt enim communiter, inter actus



actus necessarios vel judiciales, & voluntarios: in hisce nihil referre dicunt, an die, vel noctu suscipiantur, dummodo consensus utriusque contrahentis adfit, per *l. sicne initio. §. C. de Oblig. & Action.* illi autem, præprimis in iudice ordinario, habenteque præscriptum in reddendo iure certum locum & tempus, die geri & expediri debent, *vid. Magnif. Dn. Richter. tract. ad tit. C. de transaction. ad cit. l. non minorem. num. 17. & seqq.* (II.) Testamenti factionem, *l. ad testium. 22. §. posse §. 6. qui testam. fac.* Rationem autem quare indistinctè testamenta nocte confici possint, suppeditat *Polydor. Rip. Tract. de tempor. nocturn. cap. 113. n. 9.* quoniam licet testamentum sit de genere suspectorum, quia tamen subest necessitas, nocturno tempore potest expediri. In testamentis autem conficiendis semper profectò adest necessitas, vel realis, veluti si mors realiter instet, vel imaginaria, quod quis se morti semper proximum animadvertat. Alias in hoc negotio sibi ipsi vix constat *d. Polydor. Rip.* Nam in *c. 141. n. 30.* dicit, quod testamentum nocturno tempore absque urgente necessitate concinnari nec possit, nec debeat, cum tamen in *d. c. 113. n. 8.* testamenta nocturna indistinctè admittat: similiter in omni testamento necessitatem, vel realem, vel imaginariam subesse *ibid. n. 10. & c. 141. n. 34.* statuat, adeoque hoc præsupposito procul dubio casus impossibilitatem sibi fingat. Testamentis addi possunt codicilli, argumento desumpto à majori ad minus, & quia hi multò minorem, atque illa solennitatem desiderant. (III.) Arresti concessionem, præprimis si debitor de fugâ suspectus sit, vel metus interveniat præventionis ab aliis creditoribus, *Benedict. Carpzov. part. 1. Constit. 29. defin. 16. & Process. tit. 21. artic. 3. §. 2. n. 10. & seqq. cum Petr. Peck de Jur. Sistend. cap. 10. n. 2. & Dan. Moller. libr. 3. Semestr. 44. n. 1.* (IV.) aliorum beneficiorum collationem, de quâ *Jacob. Menochius de Arbitrar. Judis.*



*Judic. Q9. libr. 2. Cent. 1. cas. 48. num. 22.* (V.) Donationem, imprimis si adsint atque consentiant ii, quorum res privata alias per hanc, si facta non esset, augmentum accepisset. Nec quicquam facit *Berojus Consil. 59. n. 10. & sequ.* qui motus per *l. Donatio. 25. & ibid. Gloss. C. de Donat. verb. occultè.* Illam rejicit: cum tamen distinctio adhibenda veniat inter donationem clandestinam, sive occultè vel dolosè celebratam; & nocturnam talem, ubi insimul omnia reliqua firmæ donationis requisita adfuerunt: illam invalidam esse, hanc optimè valere unicuique ad oculum patefcet. (VI.) Satisfactionem tam voluntariam, quam si iudex copiam sui facit, contentiosam, *Gloss. & Bald. in L. More. 8. de Fer.* quo pacto etiam bonorum agnosci possessionem posse dicimus, quæ ad minimum ad purgandam moram sufficit, si alias sequenti die tempus statutum expiraret. (VII.) Resignationem beneficiorum, quæ tamen, si resignans adversâ labore valetudine, omnis suspitionis expers non est, *Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. Jur. Univers. libr. 17. cap. 17. n. 25.* Excluduntur tamen ab hisce oblatio pecuniæ, quæ nocte fit, tanquam non probè facta, tum maximè si solidum non contineat, *Tholosan. libr. 26. cap. 23. n. 3.* Jurisdictio contentiosa *Polydor. Ripa cap. 122. n. 1.* Renunciatio societatis nolente consocio, secus autem si ille consentiat, *Marc. Anton. Eugen. Conf. 48. n. 33. libr. 1.* Sic operarius certâ mercede ad operandum conductus non tenetur invitus tenebrarum nocturnarum tempore operas præstare, *Dec. ad cap. consuluit. 24. X. de offic. & potestat. judic. delegat.* Reliquæ actiones, quæ fortassis tenebrarum tempore expediri non possunt, ex comparatione cum operationibus nocturnis licitis cuique facillimè patebunt.

CA-



CAPUT VII.  
DE FURE, ADVL-  
TERIO, EFFRACTO-  
RIBUSQ.

**P**Ositis negotiis civilibus delictorum materiam ad ma-  
nus sumemus : in his siquidem tenebræ iterum sin-  
gularem circumstantiam præbent, quoniam non ra-  
ro pœnam alias præfixam augent. Hinc vidimus  
furem nocturnum non semel atque iterum citra pœnam  
occisum, quandoquidem nemo scire exactè potuerit, fu-  
randine, an occidendi animo venisset; adde quod nec  
tutò & absque periculo personæ ac rerum eum capi vel  
cognosci integrum fuerit, *vid. l. itaque. 4. §. lex. 1. ad leg.*  
*Aquil. l. si ut allegas. 4. ibique Gloss. C. ad leg. Cornel. de Si-*  
*car. l. Furem. 9. ff. h. t. c. si perfodiens. 3. X. de Homicid.*  
ubi autem certum est, furem ejuscemodi rem parvi tan-  
tum momenti auferre voluisse, neutiquam temerè ene-  
candus est, *arg. l. si ex plagis. 52. §. Tabernarius. 2. ad l.*  
*Aquil.* Quapropter non absque ratione *Jul. Clar. libr.*  
*5. Sentent. §. homicidium. n. 47.* quatuor in occisione fu-  
ris nocturni requirit: (1.) ut illud fiat pro defensione  
sui ipsius, vel rerum suarum; minimè verò, si fur abs-  
que rebus furtivis recedat. (2.) ut volens occidere fu-  
rem nocturnum clament. (3.) ut eum non cognoverit,  
nec habuerit testes, qui potuerit illum cognoscere, & con-  
tra eum ratione furti deponere. (4.) ut eum capere, vel  
res suas aliter recuperare non potuerit. Diversum ta-  
men dicendum est de fure diurno, qui nisi telo se defen-  
dat,

C

dat,



dat, occidi nequit, per *d. l. 4. §. 1. ad Leg. Aquil.* Sequitur adulterium, non minus commune, quam grave peccatum, in cuius consideratione notandum, quod haud facilem talismodi patrati criminis contra se praesumptionem faciat mulier, quae noctu viros in domum propriam admittit, *Petr. de Ancharan. ad c. 8. semel malus. de Reg. Jur. in 6. etiamsi sint clerici, Panormitan. in c. 1. non liceat. X. de Cleric. non resident. Joseph. Mascard. de Probation. Conclus. 985. n. 3. & seqq.* veruntamen an haec admissio, aliis circumstantiis non concurrentibus, ad torturam omnino sufficiens sit, prouti statuit cum *Roman. cons. 451. n. 2. & aliis Dd. Polydor. Rip. d. tr. c. 35. n. 14.* dubito, idque non immerito, cum indicia remota & generaliora, quale etiam haec in domum intromissio est, in hoc occulto delicto eadem facilitate, qua praesumuntur, iterum elidi queant, nec plane questio poenalis absque praesentissimis & maxime legitimis indiciis exerceri debeat, *l. unius. 18. §. in ea. 1. de Question. Guid. de Suzar. Tract. de Indic. tortur. n. 28. ibique Ludov. Bolognin. in addit.* quamvis ad poenam arbitrariam ex officio imponendam, & quandoque ad separationem tori & mensae, imprimis si rixae accedant, iudicem commovere possint; non autem ut insimul uxor dotem amittat, quod volunt *Grat. Consil. 50. n. 1. Berzay. Consil. crim. 20. n. 8.* nulla enim causa perditionis hic reperitur, cum nec malitiose virum deseruerit, nec ipsum adulterium generaliter praesumptum, plenissime, uti debuit, probatum fuerit. Sed quid si pernoctaverit mulier extra domum mariti, ane & tali ratione adulterium probatur commissum? Afferit hoc *Joseph. Masc. Conclus. 60. n. 1. per l. Consensu. 8. §. vir quoque. 3. C. de Repud.* Verum nos inspecta lege invenimus nihil amplius, quam pernoctationem mulieris invito viro esse modum rescindendi conjugium, non probandi adulterium. Ceterum nec tum quidem matrimonium annihilatur, si mulier e do-  
mo



mo volente marito dimissa, vel ab ipso vi expulsa apud cognatos vel etiam extraneos pernoctaverit. Similiter uxoratus pro lubitu abnoctare nequit, sed nocturno tempore cum uxore suâ esse, ut ei debitum reddat, adigendus est, *Bart. in l. Mevia nepotem. 3. §. uxore. 1. de Ann. Legat.* Obiter adhuc in adulterio notandum est, noctem etiam & justum dolorem factum aliquando relevare: sic maritus hoc delictum noctu committentem cum uxore suâ in domo propriâ occidere potest, sive nobilis sit, sive plebejus, adeo ut vel nullam, vel extraordinariam saltem pœnam incurrat, *arg. l. Grachus. 4. C. ad Leg. Jul. de Adulter.* Hinc opus non habuisset *Crusius Tr. de Noct. c. 4. n. 17.* in dubium vocare assertionem *Polyd. Rip. Tr. cit.* qui tamen non *c. 12.* sed *c. 17. n. 3.* & ipsam *Crusii* opinionem fovet, verba ipsius ita se habent: Sentio autem ego nocturnum tempus esse qualitatem aggravantem interdum & augmentem actum, interdum illum alterantem atque immutantem &c. Tertium delictum nobis suppeditant effractores nocturni, qui fustibus cœsi in metallum dari solent; diurni verò post fustium castigationem in opus perpetuum vel temporarium dandi sunt, *l. inter effractores. 2. de Effractor. & Expil.* li quoque quartò gravius puniuntur, qui ligna secuerint in alterius sylvâ diebus festivis aut noctu, quam alio tempore: duplex siquidem scelus committunt, & malè agendo, & festos dies noctesque violando, *Petr. Gregor. Tholosan.*

*Syntagm. Jur. Univers. libr. 37.*

*cap. 14. n. 10.*

C 2

CA-



## CAPUT IIX.

# DE HOMICIDIO, AGRORUM DEPOPULATORIBUS, VIOLENTIA, CONVENTIBUS, PISCATORIBUS.

**N**unc quintò ad homicidium pervenimus, ubi si quis aggressorem etiam ex titulo furti occiderit, impunè fert: quum semper in dubio simus, an aggrediens potius ad occidendum, quam ad faciendum furtum occurrerit, *c. 3. si perfodiens. X. de Homicid.* Quid verò si nocte homicidium dolosum sit commissum? ad hoc equidem dicit *Jas. in l. si quando. 9. C. und. Vi. n. 40.* quod in dubio adscribi debeat vicinis illis, ad quorum ostium repertum fuerit cadaver, imprimis si secundum *Bartol. ad l. Qui sine. 22. de Question. n. 5. & 6.* hæc tria accedant, quod scilicet sit vicinus famæ improbatæ, & ex frequenti usu & conversatione notam domum habeat: Ast nos licet conjecturas hæc aliquando concurrentibus aliis indicium ad torturam facere non negemus, eas tamen, uti *Dd. cum Bartol. l. c.* volunt, plenè probare neutiquam concedimus. Firmior probatio per testes futura erit, qui tamen similiter non probant, si de visu simpliciter deponant, sive civiliter, sive criminaliter agatur; rationem *Joseph. Mascard. de Probation. conclus. 115. n. 1.* reddit hanc, quia cum non dicant, quod luna luceret, vel lumen esset accensum, contra naturam deponunt, & ideo à seip-  
p̄is



plis naturaliter reprobantur, imprimis si nimis senes sint. *Clar. Pract. crimin. §. fin. quest. 21.* idem dicendum de solo vocis auditu, non insimul conjuncto visu. Quare ut testimonium probatio rectissime procedat, requiritur, ut deponant, se vidisse delinquentem nocturno tempore, quia luna lucebat, aderatque lumen lucernæ vel ignis, quo dignosci poterat delinquens: item se cognovisse committentem de nocte homicidium ad vocem, quam haberent notam ex nimia fortè familiaritate; se fuisse vicinos & valdè propinquos malefico, cumque hâc depositione alias certitudines & conjecturas concurrere, *add. Joseph Mascard. l. c.* sed hoc testimonii genus ad socios criminis non extensam volumus. Sextum crimen habemus in depopulatoribus agrorum, qui fruges aut vites noctu secant, cujus gratia puberes ex LL. XII. Tab. suspendebantur, impuberes verò verberabantur, prouti ex *Plin. libr. 8. cap. 3.* & *Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. Jur. Univers. libr. 37. tit. de Action. cap. 7. num. 2.* deducit *Polydor. Rip. cap. 149.* Præterea jure civili tanquam latrones puniuntur, *l. sciendum. 2.* tenentur etiam lege Aquilia, & ad duplum, *l. Furtim. 7. §. si quies. 2. §. condemnatio. 7. Arbor. Furt. Cesar.* item actione furti, & conditione, & ad exhibendum, *l. Facienda. 8. §. igitur. 2. h. t.* Sed Jure Electorali Saxónico is, qui arbores fructiferas cæcidit, vel alio modo inutiles reddidit, præter æstimationem illarum pro unaquaque triginta solidos, hoc est duas sexagenas antiquas mulctæ nomine solvere tenetur, aut si in ære non habet, carceris pœnam sustinebit; adeo ut etiam ratione hujus delicti, si damnum dolo malo datum sit, ad relegationem vel fustigationem progrediatur, *Constit. 37. part. 4. vers. Da aber der zugesügte Schade ic.* Nunquam tamen talem reum suspensum fuisse, sed virgis cæsum perpetuam sustinuisse relegationem dicit *Benedict. Carpzov. prax. Crimin. part. 2. q. 83. n. 24. & seqq. & ad dict. Constit. desin. 3. n. 6.*

C 3

His



His adjungendi, qui fata depascunt, qui, ultra damni resti-  
tutionem, ad poenam arbitrariam, & quandoque ad 50. ta-  
leros tenentur, Fürstl. Magdeb. Policey-Ordnung. c. 43.  
*vers. were aber derjenige, verb. oder das Vieh hätte eis-  
nen bey Nacht. & vers. fin. wird endlich.* Porro septimo  
violentia nocturno tempore illata poena mortis punitur,  
facitque ad ejus probationem non parum, si vicini puel-  
lam ejulantem & clamantem exaudierint, & reus è domo  
acclamantis stupratae exire deprensus sit, *Joseph. Mascard.  
de Probation. Conclus. 1417. n. 26. & Conclus. 23. per tot.* O-  
ctavo ad conventus nocturnos pergo, quos, cum non ra-  
ro seditionum materiam post se traherent, punitos capi-  
tali supplicio refert *Tholosan. l. c. libr. 35. cap. 6. n. 15.* quin  
& hi, una cum sacris nocturnis, ab omnibus ferè genti-  
bus tanquam suspecti semper habiti ac proclamati fuerunt,  
*Bodin. libr. 3. de Republ. cap. 7. cum Liv. lib. 32.* Possem  
& hic prolixus esse de nocturnis Lamiarum & venefica-  
rum conventibus, deque iis quaestionem instituere, an  
reales ac veri sint, seu potius imaginarii ac illusorii, sed  
quoniam video, rem multum chartae absumenturam esse,  
ideoque B. L. remitto ad *Hermann. Gœhausen. Peric. Aca-  
dem. part. 3. peric. 5. quest. 28.* item ad *Decis. trium Qq.  
usufreqv. Quest. 3.* ubi priora ingenuè revocat. Nonò  
sermo erit de piscatoribus, qui sedulo cavere debent, ne  
ostenso lumine nocturno, quo aliàs pisces fallunt & in-  
retia alliciunt, præternavigantes nocturno tempore deci-  
pant, quasi in portum aliquem delaturi, eoque modo in  
periculum naves, & qui in eis sunt, deducant: si enim  
hoc ex culpâ latâ factum, tenentur ad damna & interesse, si  
ex dolo, & ut sibi secuto naufragio execrandam prædam  
parent, tanquam raptores puniendi sunt. *l. ne pesca-  
tores. 10. ibique Gloss. de Incend. Ruin. Nau-  
frag. atque piratae, Polydor. Rip. c. 26. § 13.*

CAPUT



## CAPUT IX.

# DE LARVIS, LIBEL- LIS FAMOSIS, CIRCUM- AMBULATIONE AR- MATA, ET QUASI DELICTIS.

**R**Estant adhuc quædam dicenda de larvis, & habitu  
emento, in quo si mulier nocturno tempore depre-  
hendatur, vel etiam vir, haud levem commissi cri-  
minis de se suspicionem auget; imò meretricem,  
quandam nocturno tempore in Civitate Lucetia virili ha-  
bitu indutam à Regiâ Audientiâ Apuliae fustigari jussam,  
exulasse scribit *Francisc. Riv. lib. 2. decis. 345. n. 10.* Libel-  
li famosi, qui frequentius nocturno tempore ab inhone-  
stissimis & procissimis nebulonibus affigi consueverunt,  
succedunt, quos considerabimus tantum respectu pœna-  
rum, quem nobis exhibet *l. Lex Cornelia. 5. §. si quis. 9.*  
*de Injur. & famos libell.* Si quis enim librum ad infami-  
am alicujus pertinentem scripserit, composuerit, ediderit,  
dolove malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiamsi al-  
terius nomine ediderit, vel sine nomine, intestabilis ex le-  
ge esse jubetur, imò capitaliter punitur, *l. un. C. de Fa-  
mos. Libell.* Jure Canonico statuta est fustigatio, ac in-  
terdum excommunicatio & relegatio, *c. qui in alterius. 1.*  
*V. q. 1.* Juxta Ordinationem Criminalem Caroli V. *art.*  
*110.* autor famosi libelli eâ pœnâ afficitur, quæ alias statu-  
ta est illi crimini, quod alteri imputat, *Bocer. ad l. un.*  
*C. de*



*C. de Famos. Libell.* quod etiam Jur. Saxon. obtinet, *Constit. Elect. p. 4. q. 44. Carpzov. Prax. Crimin. p. 2. q. 98. n. 14. & seqq. Dn. Struv. Syntagm. Jur. Civil. Ex. 48. §. 69.* ubi etiam videri possunt exceptiones, si videlicet verum crimen objiciat, nomen exprimat, &c. & plerumque hodie mitius pronunciari tradit *Carpzov. l. c.* De circumambulatione & gestatione armorum nocturnâ multum sollicitus non ero, cum manifestum sit, in quibusdam locis eandem licitam, in quibusdam verò prohibitam esse, quapropter unusquisque pro locorum diversitate sedulò cavebit. Progredior ad quasi delicta, ubi similiter in edicto de his, qui effuderint aut dejecerint, animadvertimus, illud regulariter locum non habere nocte & tempore tenebrarum consueto, sed interdiu tantum, *l. Hoc Edictum. 6. §. 9. Labeo. i. de his qui effuder.* (quod ad crepusculum diei extendit cum *Roffred. & Alberic. h. t. Gloss. ad l. c.* quoniam die facta iisdem videntur, quæ ita facta esse dicuntur,) quamvis per *d. l. 6.* quibusdam locis etiam noctu iter fiat, adeoque impunè semper pro fundamento innocentia tenebræ allegari nequeant. Idem dicendum arbitramur de Edicto de his, qui positum vel suspensum habuerint: licet namque ibidem consideretur non tantum res, quæ posita est ita, ut nocere possit; sed etiam quæ posita est & nocuit ipso actu, per *l. si vero. 5. §. Pretor. ait. 11. h. t.* attamen cum de nocte iter facienti, damnique hoc pacto accipienti ob præsumtionem, quod homines ordinariè tenebrarum tempore vias publicas non transeant. *vid. Johann. Accurs. ad cit. l. 6. de his qui effud.* actio aliquando denegetur, rem per illud spatium positam vel suspensam non fuisse fingitur.

CA-



# CAPUT X. DE TEMPORE OB- SCURO, CAPTURA, TORTURA, EXE- CUTIONE.

**A**Tque tantum de delictis, quæ revera tempore nocturno committuntur; non immeritò autem quaritur, si delictum commissum sit tempore obscuro, quando terminus noctis incipiat, & computari debeat? *Alexand. in l. More. s. de Fer. n. 5.* illud de nocte factum arbitratur, quod ante solis ortum est factum, cui opitulari potest *arg. l. Hæc verba. 124. de verb. signif.* aliis verò sequens distinctio placet: aut statutum expressè determinat, quando dicatur dies vel nox, & dicunt illud esse servandum, v. g. in quibusdam locis, quando pulsata est campana, und was dann geschicht / mag gerichtet werden / als das bey Nachtschlassender Zeit geschehen. In Kriegeszeiten saget man nach besetzter Wache / *Arnold. de Reiger. Thesaur. Jur. verb. nox. cum Angel. tract. de malefic. ibique Augustin. in addit. vers. de nocte ut mandatum & c.* aut verò expressè non determinat, & standum esse dicunt arbitrio iudicis, qui considerabit, an esset tanta claritas vel obscuritas, ut sit attribuendum vel nocti, vel diei: in dubio autem mitiorem partem esse sequendam, *vid. Jul. Clar. Sentent. libr. 5. §. final. Pract. Crimin. Quest. 82. statut. 9. n. 4. cum Johann. Andr. in c. si perfodiens. 3. X. de Horaicid. Afflict. part. 1. Constit. Regn. Rubr. 5. n. 9. Polydor. Rip. cap. 90. n. 2. Natta Conf. 469.* Quidam & illud noctu fieri arbitrantur, quod in aurora fit, quando

D

aër



aër incipit clarescere, *Bartol. in l. aut facta. 16. §. tempus. s. de Poen. Alexand. h. r. Felin. in c. consuluit. 24. x. de offic. & Potestat. Judic. delegat. n. 5. Paul. Matth. Wehner. Observ. Pract. verb. Nacht.* quos quilibet pro lubitu, meque minime obstante, sequatur. Jam ad actus delictum commissum consequentes: ubi primus erit captura, quæ ratione criminis quocunque nocturno tempore fieri potest, *Bald. in l. Provinciarum. 10. C. de Fer.* (secus ratione debiti civilis, si debitor fidejussores inveniat, nec contumax, aut de fuga suspectus sit, *Rip. c. 71.* Qui etiam in carcerem tenebricosum injectus commissionem ocularem pro inspiciendo mitigandoque petere potest, *Gail. 1. O. 26. n. 9.*) Secundus actus erit, si reus spontè nihil confiteri velit, tortura: hanc commodissime summo mane & quibusdam in locis tempore nocturno institui manifestum est, quia hoc tempore digestio maximâ ex parte perfecta est, ac reus jejunus invenitur, nec adeo facile stomachus torquendo vertitur, & vomendo patitur, ut examinari non possit, *Prosp. Farinas. Prax. Crim. libr. 1. tit. 5. quest. 38. n. 32. Hippol. de Marsil. in l. In criminibus. 1. pr. de Question. n. 29.* quamvis etiam cum *Bened. Carpzov. Prax. Crimin. part. 3. Quest. 124. n. 7.* dici queat, hoc propterea fieri, ne per torturam & ejulationem rei aliis hominibus molestia creetur. Tertius actus erit executio & poena; varia namque delicta apud varias gentes noctu fuisse punita, fides historiarum comprobat: sic Lacedæmonii de mortis reo nunquam interdium, sed absente sole supplicium sumebant, *Zwinger. Theatr. vit. human. vol. 28. Libr. 3.* quod tamen *Polydor. Ripa cap. 91. n. 12.* (qui *Farnes. Simulacr. Reip. lib. 1. cap. 9.* adducit, refutatus ob id à *L. A. Crusio cap. 16. n. 4.*) de torturâ ad eruendam veritatem, vel de ipsâ condemnatione, non autem de condemnationis executione intelligere mavult. Similiter conjurationis *Cautilinariae* convicti *Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinus, Coeparius* nocte in carcere tenebricoso poenas protervix de-



derunt *Salust. Bell. Catilin. cap. 55.* & hoc etiamnum hodiè,  
imprimis si periculum in morâ, vel locus non satis tutus sit  
aut seditio metuenda, obsecrari, experientia rerum ma-  
gistra attestatur. Et hæc de materia delictorum dixis-  
se sufficiat.

## CAPVT XI.

# DE VSU LVMINVM CONCLVSIONE.

**U**ltimo & quasi coronidis loco adjiciemus usum trium  
luminarium, quem satis frequentem tenebrarum  
tempore in jure nostro deprehendimus, nec ullibi tam  
constans atque ferè unanimis Doctorum confessio re-  
peritur, utut plura aut pauciora adesse posse lumina nemini  
negemus cum *Crusio cit. Tract. cap. 7. n. 6.* Primò etenim il-  
lum videmus in materiâ suscipiendi custodiendique partus,  
quod si fortè divortio facto mulier se prægnantem esse neget,  
maritus verò affirmet; vel mortuo viro uxor se gravidam  
esse fateatur, sed alii heredes quorum interest partum non  
nasci dubitent. Tunc siquidem in hoc casu, si mulier præ-  
gnantem se esse dicat, & his, ad quod ea res pertinebit, pro-  
curatorive eorum bis in mense denunciandum curet, ut  
mittant si velint, quæ ventrem inspiciant, (mittantur autem  
mulieres liberæ duntaxat quinque, hæ omnes simul inspi-  
ant, dum ne qua eorum, quæ inspicit, invitâ muliere ven-  
trem tangat) mulier in domo honestissimæ sceminæ, quam  
Prætor constituere vult, pariat; in conclavi, ubi mulier  
paritura erit, plures quam unus aditus non sint: quin &  
multis aliis solennitatibus omisfis, quas recenset *l. Tempori-*

D 2

bus,



*bus. 1. de inspiciend. Ventr. §. 10. add. Jul. Pac. & Mag. Haryngb. Sifrid. Isagog. h. t. Prætor requirit, ut tempore nocturno tria lumina nec minus in eo conclusi sint: scilicet quia tenebræ ad subjiciendum ut plurimum aptiores habentur. Et hoc edictum etiamnum hodiè, si vidua præsertim defuncti nobilis uterum se gerere fateatur, ob successionis feudalis emolumentum utilitatem habere asserit. Dn. Struv. Ex. 30. §. 82. cum Hahn. Observat. ad Wesenb. h. t. Exposcunt secundò arg. d. l. Temporibus. 1. §. 10. tres candelas à notario tempore nocturno contractum aut instrumentum conficiente, ut scilicet evitare valeat poenam falsi, arg. l. Jubemus. 29. C. de Testament. Wehner. Observ. pract. verb. Nacht. cum Gloss. in cap. consuluit. verb. odit lucem. X. de Offic. Delegat. Polydor. Ripa c. 147. n. 13. & c. 113. n. fin. in materiâ testamentorum, & codicillorum & aliarum ultimarum voluntatum, imprimis si metus falsitatis accedat, aut testator testibus sit ignotus: secus tamen si ipsis optimè notus, familiaris, ac nuncupativè testetur, vel omninò ex aliis circumstantiis omnis fraudis suspicio purgata fuerit, Dec. Conf. 354. per tot. Felin. in c. 24. consuluit. X. de Offic. & potest. judic. delegat. Jacob. Menoch. de Presumpt. libr. 4. presunt. 12. n. 5. & conf. 288. n. 29. in donatione mortis causâ Polyd. Rip. cap. 143. n. 1. in ferendâ sententiâ, Bartol. ad l. non minorem. 20. C. de Transactio. in procuratione ad renunciandum, quæ noctu fit, Tholosan. Syntagm. libr. 17. cap. 17. n. 25. Atque hæc sunt theses, quas impresentiarum de materia tenebrarum conscribere volui, imò temporis angustia circumscriptus potui; Tuum erit B. L. serenâ hæc accipere fronte, ut & de iisdem non nisi probè ponderatis judicare. Vale diu, favereque perge.*

Co-



## COROLLARIA.

**A**N iudex propter injustam capturam  
& incarcerationem possit actione  
injuriarum conveniri? Affirmatur.  
Magnif. Dn. Schröter. Resolut. Difficill.  
LL. Codic. ad Tit. C. de Custod. Reor. Dis-  
sent. Dn. Carpzov. Prax. Crimin. p. 3. q.  
III. n. 67.

Si nomen suum autor famosi libelli  
subscripserit, an poenâ famosi libelli te-  
neatur? Negatur ex Observantiâ Jur.  
Saxon. Dn. Carpzov. Prax. Crimin. p.  
2. q. 97. n. 24. Dissent. aliàs Dn. Brun-  
nemann. ad L. un. C. de Famos. libell.

Actio Pauliana est actio non realis  
tantum & simpliciter, sed personalis in  
rem scripta, Ludov. Ex. 16. 0. 2. lit.

D 3

G



g. Dissert. Bachov. D. 3. d. Action. 8. 39.

Provocationem ad extremum tribu-  
nal Christi, seu in Vallem Josaphat non  
rectè probant ex dicto Joël 3. v. 1.

**F I N I S.**






ULB Halle

3

005 132 681



V017











B.I.G.

Farbkarte #13

1668, 50 <sup>14</sup>/<sub>16</sub>

J.

S.

RARUM.

LTATIS, JURI-  
ERMISSU.

ESIDE.

NIFICO.

E. STRAUCHIO.

RE. CONSILIARIO.

TIS, JURIDICÆ, SENIORE,  
T. SCABINATUS, ASSESSORE.  
VISSIMO.

ND A. DOCTORALI.  
ENTIA.

VENTILATIONI.  
HIBET.

E ORGIUS. SIMON.

NSIS. SAXO.

ENÆ.

I. A. C. M. DC. LXIIX.

LERIANIS. 1683.